

enberg
ss.
d. 6
-1791

479
L6,15

DE
COHAERENTIA MVNDI PARTIVM
EARVMQVE CVM DEO CONIVNCTIONE
SVMMA, SECVNDVM STOICORVM
DISCIPLINAM

DISPVATATIO PHILOSOPHICO HISTORICA
PARS PRIOR

QVAM

P R A E S I D E

IOHANNE MATTHIA SCHROECKH

HISTOR. PROF. P. O. BIBLIOTH. ACAD. DIRECTORE
INSTITVTI REG. HIST. GOETTING. MEMBR.
ORDIN. SOC. LAT. MARCH. BAD.
SODAL. HONOR.

DIE IV. IVNII A. C. CLCCLXXXV.

P V B L I C E D E F E N D I T

A V C T O R

G OT T L O B E R N S T S C H V L Z E

AA. MAG. ET DIACONVS AD AEDEM ARCS ET ACAD.

VITEMBERGAE

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRII.

1785 : 7003

15

CHARITATIS / MUNDI PARTIM
MUNIQUE QM'DE CONSULTATIONE
SANTI SEBALDUS, TOLLOSSY
DISCIPINUM

CHARITATIS TUNNISQ' MUNDI PARTIM
SANTO SEBALDO
SANTO GREGORIO
PRAESES

JOHANNES MARTINUS SCHROEDER

HISTORIÆ TUDORÆ FONCTIONIS MUNDI DISCIPINAE
INSTITUTI RUE L'IST. COLLETTING MUNDI
OCCUPATIONIS MUNDI S. GREGORII
SCHOLASTICÆ

DE IN INVENIA EDITIONIBVS

1515. 1516. 1517. 1518.

JOHANNES MARTINUS SCHROEDER

INSTITUTI RUE L'IST. COLLETTING MUNDI

1515. 1516. 1517. 1518.

1928 K 944



§. I.

Munere illo, qnod praebet contemplatio variorum ac grauis-
simorum humani generis placitorum, nullum est, nec in-
ueniri potest, quod aut ad agnitionem animi pulchrius sit, aut ad
moderanda studia nostra vtilius. Quis enim, cui est cum litteris
humanitatis societas quaedam, negligere possit eorum hominum
sententias ac decreta, qui ante nos maximarum rerum inuestigā-
runt rationem? omnes natura duce trahimur cupiditate rerum co-
gnoscendarum, eaque in optimo quoque inextincta et insatiabilis
manet. Cuius porro animus non admiratione capiatur cum in-
mensam humanorum placitorum regionem conspiciat et contem-
pletur? Haec enim regio nullas nisi discrepantes continere vide-
tur sententias, a temeritate magis, quam a ratione profectas; at-
tamen, si animum accuratius intendimus, in istis variis sententiis
concentum quandam cernimus, ac conspiracyem, praesertim
quod attinet ad principia, ex quibus ductae illae et probatae sunt,
quaes res magno argumento esse debet, quasdam rerum sensibus
subiectarum cognosci posse a nobis proprietates, quarum sint ima-
gines adumbratae notiones humanae, naturae quodam vinculo
cum ipsis rebus colligatae; id quod ii negant, qui ἐποχη i. e. dubi-
tationem de omnibus rebus probant. Haec non parua sunt, sed
maiora addi debent. Cognitio enim placitorum humanorum fon-
tes aperit, ex quibus manarunt isti errores, qui mentibus huma-
nis naturae verique lucem obscurarunt, propterea que omnium
studiorum dux et magistra est nuncupanda. Profecto etiam insi-
pientis esset arrogautiae, veterum spernere placita, et intacta re-
linquere, quasi iis natura dedisset ingenia, ad verum videndum

A 2

hebe-



hebetiora. Et quaenam efficacior medicina nostrae inconsultum sanare possit mentis obsequium, quo magistrorum nostrorum, ad quos plerumque tempestate quadam deferimur, opiniones amplectimur et decreta, ad quae deinde quasi ad laxum per omnem vitae cursum adhaerescimus, quam diligens studium omnium platorum, quae patronos habuerunt graves? Idecirco summi in philosophia viri iudicarunt, optimam docendi methodum consistere in expositione omnium systematum, et rationum, quibus fulta sustinentur; sic enim dissentium ingenia acui, temeritatemque in assentiendo propelli posse existimarunt. Quae denique nobis ortur nova et perspicua lux benignitatis divinae, quae rerum humanarum curam habet pulcherrimam, cum intenta mente, et uno aspectu varias cognitionis humanae contemplatur vicissitudines? Quid enim isti viri quos diversis temporibus ac locis divinus excitavit afflatus, ut tenebras mentes humanas opacantes dispellerent et veri virtutisque vim illustrarent, significant, nisi providenti hominibus a Deo benignissimo?^{a)} Quid incrementa illa quibus omni tempore et nostro potissimum doctrina amplificata est, quid inquam magis clamant, quam humanas opiniones providentiae optimae esse subiectas? Quid portendunt aliud, quam hoc, fore aliquando tempus, ubi expresa veritatis vestigia omnibus, aut saltem plurimis hominibus sint apparitura?^{b)})

§. II.

^{a)} Antiquae philosophiae contemtio est ignorationis professio. Pleni sunt Graecorum et Romanorum libri optimarum sententiarum, a natura veroque haud alienarum, quas ab ipso Deo accepisse videntur. Si qui sunt qui hoc a me inconsideratus dictum esse putent, ii divinam providentiam extenuantes et in angustias depellentes, meliora dicant, a viro inter homines christianos summo, Clemente Alexandrino Stromatum L. I. c. 5; ubi et religionem christianam et philosophiam Graecorum a Deo fluxisse, dicit; et per hanc homines ad illam præparatos esse Iustinum Martyrem in Apologia 1. securus affirmat.

^{b)} Constanter Deus in administrando hoc mundo id curat et providet, ut quaevis res paulatim perfectior et excellenter evadat. Haec rerum creatarum ad meliorem conditionem progressio, nec terminum habet aut finem, nec impeditri potest aut tolli. Quicquid accidit, huius ad melius progressionis causa accidit.

Eadem

§. II.

Has potissimum ob utilitates omnes, qui de litteris humanitatis et de sapientia iudicare potuerunt, decreverunt, ab eo, qui in cognitione veri ac falsi proficere velit, non modo non negligenda esse placita omnis antiquitatis, sed potius diligenter investiganda. Quae nos quoque impulerunt, ut huic parti cognitionis humanae operam navaremus, et nunc ex illa aliquid ad differendum proponeremus. Cuinque mens diu haesitaret, quod placitum, quorum tanta est copia et multitudo, ut vix a nobis una possint comprehendendi, quam familiam, quam aetatem attingeret, delata tandem est ad Zenonis Cittie nationem, cuius principes et propter ingenii aciem, et propter disciplinae praefstantiam, cum summis in philosophia viris comparandi, imo multis anteponendi sunt. Quorum quidem excellentia et sapientia excitauit ex nostris homines non focordes, ut partim omnem Stoicorum disciplinam, partim illius praecipua capita litteris suis amplectentur et illustrarent.) Ab his tamen summis viris neglectum, aut non satis explanatum esse, (pace eorum omnia hoc dixerim) eum stoicae doctrinae locum, qui de mundo nostro eiusque effectore et conservatore agit, intellexi; et inde natum esse puto multum et varium de impietate Stoicorum, et de eorum placitis repugnantibus rumorem, quem nunc refutare cogito. Penes alios sit huius laboris iudicium;

A 3

cium;

Eadem lex divina in placita humani generis dominatur. Gravissimi errores a nonnullis suscepiti aliis praebuerunt transitum ad veritatem faciliorem et ratiocinem. Nisi, exempli causa, Sophistae fuissent, nec Socrates, nec Antisthenes, nec Plato extitissent, nisi Scholastici nec Cartesius, nec Lockius, nisi Spinoza nec Leibnitius. Quis igitur est, qui neget, universum genus humanum ex erroribus, quos singuli effutivere homines, plus incrementi, quam detrimenti acceperisse?

) Catalogus eorum qui interpretati sunt doctrinam Stoicam, videatur apud Heumannum in actis philosophorum part. I. p. 730. quibus novissimus et praestansissimus adnumerandus est Tiedemann, Vir Cel. cuius expositio systematis Stoici perpetua prodit Lipsiae 1776.



cium; non enim is sum, qui se ab omni errore et lapsu liberum putet, aut se redargui et refelli animo ferat iniquo. Laboris nostri non exiguum erit praemium, si ad veri investigandi studium excitaverimus alium quendam in explicandis veterum philosophorum placitis nobis callidiorem.

§. III.

Ne autem in explicatione doctrinae Stoicae de Deo ac mundo laberemur et Zenoni eiusque familiae ea tribueremus, quae nunquam probarunt, duas nobis scripsimus leges, quas constanter sequeremur. De his admonendi sunt lectores, ut rite possint de nostra iudicare oratione. Priorem quidem iubet omnium systematum et in primis Stoici systematis ratio, alteram et nostrae quaestione et animi humani vult res ac natura. Prior autem haec est: Placita philosophorum non sunt separatis contemplanda, nec ad singulas voces est adhaerendum, sed totius disciplinae ambitus et nexus est considerandus. Hanc legem tulit Baco de Verul. sapientiae restaurator, et nostrorum philosophorum paedagogus; videatur illius de augmentis scientiarum L. II. c. 3. eaque vim suam obtinet in explicatione omnium systematum, in primis vero ab eo non debet negligi, qui Stoicorum vult tractare disciplinam. Hi enim ita adamant ordinem aptamque compositionem, ut fore nihil admitterent, nisi quod cum tota disciplina conspirare videretur.^{a)} Posterioris legis haec est formula: Omnis apud veteres Dei cognitio et notio copulata fuit cum imagine quadam corpor-

^{a)} Compositionis aptae in doctrina stoica Cicero est testis locuples, vid. de Finibus L. II. c. 22, qui interdum ita ab illa captus est, ut suam de omnibus rebus dubitationem deferret, et eorum placitis assentireret. Zenò quidem porticum suam ex iis lapidibus, quos antiquiores philosophi conciderant, extruxit, eiusque disciplina tere nihil continet quod novum sit et antea inauditum; tamen horum fragmentorum nova est apud Stoicos compositio et alligatio, at vix cognoscas, unde sumta sint, et plane mireris, qui e placitis, undiqueque congestis, excitari potuerit aedificium aptum, et undique suis numeris expletum.

corporea, responditque formae cuidam, in sensus incurrenti, in
 quam eum incluserunt; considerandum est igitur in explicando
 veteris familiae philosophicae de Deo placito illud simulacrum,
 quod cum natura divina coniunixerunt. Hanc legem ingenii hu-
 mani fert ratio ac historia. Omnis enim cognitio humana, a sensi-
 bus ducta, sero procedit ad notiones, quae habent cum rebus
 sensibus perceptis, tantum comparationem sive analogiam, et in
 quibus terrena ista imago, e qua ductae sunt, evanuit. Vnde
 iam conjectura assequi facile possemus, si etiam apud scriptores
 veteres eius rei mentio fieret nulla, omnem antiquitatem a notio-
 ne purae mentis, cuius natura omni caret extensione, abhoruisse.
 At aperte dicunt, mentem corpore vacantem ne intelligi quidem
 posse. vid. Cicero Acad. Q. L. IV. c. 39. et in libris de natura Deo-
 rum saepius. Et, ne forte vocabulum illud, quod de Deo et men-
 te humana adhibent, cum dicunt, illum et hanc simplex quiddam
αὐτωμάτον esse, nos decipiat, cavendum est. Quae enim τὸ simpli-
 cis vis sit apud Veteres, patet ex eodem Ciceronis loco, nam
 quaerit, si animus simplex utrum ignis, an anima, an sanguis
 sit? Vnde duo efficiuntur, primo: simplex id apud veteres dici,
 quod non sit compositum ex quatuor elementis et dissimilibus na-
 turis vid. Cicero de N. D. L. III. c. 14. Deinde: antiquitatem co-
 pulasse cum notione dei formam et imaginem corpoream. Hic
 de Deo et de anima humana cogitandi mos viguit, ni fallor, usque
 ad Cartesium, qui primus negavit vim intelligendi et appetendi in
 eo esse posse, quod extensionem habeat et dividi possit. vid. eius
 Medit. VI.

§. IV.

Placitum quod nobis ex philosophia Stoica explicandum
 sumsimus, est illa palmaris de nexu omnium mundi partium, quo
 et inter se, et cum Deo iunctae permanent, sententia, quam
 tanquam suae philosophiae arcem ubique defendunt, et qua veluti
 funda-



ti fundamento omnis de Deo, providentia divina, virtute, fato, divinatione, vitaque post mortem, apud hanc familiam innititur doctrina. Dicunt nempe, omne quod est, esse unum atque continens, non avulsum a ceteris, non simplex, non solitarium, omniumque rerum colligationem infinitam. Ipsos audiamus Stoicos de hac coniunctione mundi partium differentes. Antoninus eam sic describit των εἰς ἑαυτον L. VII. §. 9. πάντα ἀληθεῖς ἐπιτελεκέτου. οὐδὲ οὐ συνέστοις ἔργα, οὐδὲ χρέον τι οὐδεν αἴλιστριον αἷλο αἴλιο. συγκατατετακτα γαρ, οὐδὲ συγκομισα τον αὐτον κοσμον. κοσμος τε γαρ εἰς δια ἀπαντων, οὐδὲ θεος εἰς δια παντων. adde L. VI. §. 38. Seneca ep. 92. Totum hoc, quo continemur, et unum est et Deus, et socii eius sumus et membra, adde ep. 95. Huius colligationis rerum omnium duplex est ratio. Prima pertinet ad mundum, quem cernimus, resque omnes, quibus ille constat, quibuscum cohaerent simul mentis humanae actiones ac motus. Altera ad Deum eiusque cum omni mundo coniunctionem referenda est. Erit igitur et nostra oratio bipartita, prima pars res coelestes terrestres, et actiones humanas complectetur, harumque rerum omnium copulationem summam. Secunda de Deo aget, et, qualis huius cum mundo sit nexus secundum Stoicos, investigabit.

§. V.

Omnia, secundum Stoicos, rerum genera primo sic cohaerent, ut nullum avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut cetera si absint, vim suam et naturam conservare possit. Omnis mundus est, ut illis placuit, unum quasi corpus, cuius ne minima quidem pars sine totius detimento deesse potest, et cuius omnes artus propter coniunctionem cum toto, vigent, aluntur sustentantur, statimque marcescent ac intereunt, quando a ceteris avelluntur. Iam in quatuor primis naturis, ex quibus omnia conflata sunt, inest haec continuata copulatio; nam ex terra aqua, ex aqua aer, ex aere aether, qui et ignis est, nascitur, vicissimque retror-

retrorsum, ex aethere aer, ex aere aqua, ex aqua terra. Et quanquam harum quatuor naturarum sunt diversae proprietates^{e)} et imparia momenta;^{f)} tamen una nunquam sine altera est, aut esse potest.^{g)} Par est ratio rerum superarum et inferarum, quae ex his elementis effectae sunt, una alteram nutricatur sustinetque, una ceterarum causa facta est, nec ulla sine interitu ac mutilatione ceterarum et totius mundi mutatione deesse potuit."^{h)}

§. VI.

Partium porro, ex quibus mundus constat, est continuata quaedam contagio, quae graece συμπαθεία dicebatur,ⁱ⁾ quare, quae in mundo sunt, non cohaerent ut gleba aut lapis, aut aedificium, aut machina, aut grex, quorum singulae partes non sentiunt ceterarum partium vicissitudines, et interitum, sed ut artus corporis animantis, quorum singulorum percussio, motus, actio, percessio per totum simul pertinet, et in maxime distantibus quoque sentitur et efficax est.^{k)} Ex hac totius mundi conspiratione

e) Diog. Laert. VII. S. 137.

f) Plutarch de Placitis I. 12.

g) Seneca N. Q. L. III. c. 10. Cic. de N. D. L. II. c. 33.

h) Anton. L. V. §. 8. οὐ πάντα ταῦ συμπάθεια ὁ κόσμος τοῖς τοῦ συμπληρῶτος, — πάγκεται γαρ τοῦ ὀλοκληροῦ, εἰς τὴν ἄπικην διατύψην τῆς συνθετικῆς καὶ συντετταῖ τῶν μέρων, ἔτοις τοῦ τοῦ αὐτοῦ. Seneca N. Q. II. c. 5. Epictetus apud Arrianum L. I. diff. 6. Cic. de N. D. II. c. 53.

i) Vid. Cic. de N. D. III. c. 11. vbi Cotta respicit ad Balbi orationem L. II. c. 7.

h) Anton. L. IV. §. 40. οὐδὲ ἡ φύσις τοῦ κοσμου, μηδὲ τίπατα, ταῦ ψυχῆς μηδὲ ἐπεξούσια, καὶ πάντας εἰς αὐτὸν μέτα την την (scil. κοσμού) πάντα μεταβοτατα, ad huius sensum omnia referuntur i.e. ad omne rerum genus, quod in mundo dignitur, pertinet et distribuitur sensus ac perceptio reliquorum generum. Sextus Empiricus adv. Phys. I. segm. 78. uberioris hanc totius mundi contagionem explicat; non aperte quidem nominat, stoicos, et iis hanc de contagione tribuit sententiam, sed, vi omittam et omnium interpretum auctoritatem, qui orationem istam ex Stoica philosophia petitan esse volunt, et vocabulorum a Sexto usurpatorum testimonium, sisdem enim semper vtuntur Stoici, cum de cognitione mundi partium differant, series orationis apud Sextum declarat Stoica esse, quae proponit; cf. v. c. segm. 77. apud Sextum cum oratione Balbi apud Cicer. de N. D. II. c. 8. et segm. 88. cum c. 12. et 13. apud Ciceronem.



ac cognitione probarunt Stoici vim siderum et ceterarum rerum coelestium in rebus terrenis. Omnes enim singulorum hominum mores, animi, casus, vitaque actiones, dependent, ut ipsis placuit, ex affectione et traectione siderum, aeris temperatione; hoc cique, ubi quisque nascitur, natura.^{l)} Vinculum, quo constricta omnia tenentur, et quo partes huius mundi maxime distantes ita copulatae et alligatae sunt, ut una alterius habeat sensum, retrorsumque in illam vim suam exferere possit, aer est, qui ubique diffusus coniunctionem perpetuam conservat,^{m)} et vacuum ex hoc mundo tollit eique nullum locum relinquit.ⁿ⁾

§. VII.

Videri quidem nonnullis potest propter hanc rerum omnium colligationem et contagionem continuatam, totus mundus fuisse apud Stoicos una substantia et unum individuum, cuius sint omnes res, quae in eo gignuntur et quibus constat, mera attributa ei accidentia, et, si ita dictu fas est, modificationes quedam. Sed Stoici improbant hanc mundi notionem, quae humani ingenii aciem superare, et animum nostrum, si eam comprehendere studemus, perturbare videtur. Docent enim, ex diversis et contrariis rebus compositum esse mundum, quarum nullum genus, nulkae species alteri plane sit^{o)} similis planeque eadem

et

^{l)} Vid. Cic. de Fato c. 4. vbi Chrysippo haec de sideribus sententia tribuitur.

^{m)} Seneca N. Q. L. II. c. 4. aer iungit coelum et terram, quia utriusque per hunc conexus est, supra se dat quicquid accipit a terris, rursusque vim siderum in terrena transfundit.

ⁿ⁾ Diog. Laert. L. VII. segm. 140: ἐν δὲ τῷ ποτε μερινὶ σίτης οὐλῆς ἡλλής οὐτοις.

^{o)} Seneca N. Q. L. VII. c. 27. Mundus ex diversis compositus est. — Tota huius mundi concordia ex discordibus constat ep. 113. Circumspice omnino corpora, nulli non et color proprius est et figura sua, et magnitudo. Inter cetera, propter quae mirabile diuini artificis ingenio est, hoc quoque existimo quod in tanta rerum copia nunquam in idem incidit, etiam quae similia vindentur cum contuleris, diversa sunt. Plutarch adv. Stoicos pag. 1077. edit. Francof.

et quarum quaevis propriam habeat indolem et *vnescorū?*) Vero itaque Stoicorum de mundo et eius, quibus continetur, partibus, haec est sententia; quaevis res quae in mundo est, si cum universo comparatur, illius pars et membrum necessarium est, efficiens talem, qualis nunc est, rerum naturam. Si contra per se considerarur, res quaelibet perfecta est substantia, et absoluta, propria vi gaudens.

§. VIII.

Huic omnium in mundo rerum continuationi et coniunctioni arctissimae nulla alia mundi figura et forma aptior visa est, quam rotunda et globosa; haec enim est, quae alias omnes continet figurā, quae nihil habeat asperitatis et lacunosi, nihil, quod nimis longe a ceteris rebus distet; hac igitur figura mundi rotunda effici volebant Stoici rerum maximarum coelestium ac terrestrium perpetuam conspirationem, copulationem, mutuamque unius rei in alteram efficaciam ac vim. Vid. Cicero de N. D. L. II. c. 45.

§. IX.

Quem ad modum vero omnia rerum genera, quae insunt in hoc mundo, constricta et colligata continentur, nec sine hac continuata coniunctione cohaerere possunt, sic etiam corū, quae fiunt, et mutationum, quas habent res coelestes ac terrestres, perpetua ac continuata est quaedam coniunctio et contagio; cuiusque rei vel minimae et abiectae, ortus, interitus, effectus, et perpresso, fluit ex rerum maximarum ortu, obitu, effectu, et perpresso, harumque vicissim ex illarum. Id, quod in una mundi regione fit, est causa aut effectus eius, quod in altera et remotissi-

B 2

p) Seneca l. c. singula animalia singulas debent habere substantias. — Quod aliud est, suum oportet esse et proprium, et totum et intra se absolutum.



ma factum est, alterum alterum iuvat, illiusque comes est.²⁾ Harum mutationum series aeterna est, descendens inde a prima mundi constitutione, et definens cum omnium rerum interitu.) Propter hanc eventuum omnium conspirationem nihil subito, aut nulla causa antecedente et adiuvante factum est. Quiequid evenit, in aliis iam tanquam semen inerat. Mundus instar embryonis et partus imperfecti est; quemadmodum in embryone iam insunt futuri animantis existentia, partium circumscriptio, linea-
menta, quae deinde certo tempore maturata proveniunt; sic omnium eventuum ratio ac series in prima huius mundi natura ac constitutione inest; quae sunt, immatura iam inde ab initio mundi aderant, proptereaque necessario sunt, nec impediri, aut coerceri possunt. Haec causarum et factorum series aeterna, continuata et immutabilis, fatum est,³⁾ quo omnia quae facta aut futura sunt, secundum Stoicos, sunt.

§. X.

g) Haec eventuum omnium colligatio consequens est doctrinae de cognitione rerum omnium, sed et seorsim probatur a Stoicis; Antoninus L. IV. §. 40. *Μάταια ταῦ γεννημένα συντίθενται.* L. V. §. 8. L. VI. §. 42. *Πάτητος εἰς αποτελέσματα.* Seneca N. Q. L. III. c. 29.

i) Seneca cur bonis viis mala fiant c. 5. causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit. N. Q. L. III. c. 29. ab initio mundi usque ad exitum, quicquid facere, quicquid pati debeat, inclusum est, ut in nomine omnis futura ratio hominis comprehensio est, etc. Aittion. L. X. §. 5. *ὅτι τοῖς οὐρανοῖς ταῦτα εἰς πάντας προκατετασσαστο.* L. V. §. 26. L. V. §. 8.

s) Anton. L. IV. §. 36. *επικράτειον τοῦ τοῦ εἰς τὸν ἄνθρωπον.* Cicero de Divin. L. I. c. 55. nihil est factum, quod non futurum fuerit, et nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficienes natura contineat.

t) Fatum a Chrysippo sic definitur; est *φυσικὴ συντεχνία τῶν ὁλῶν ἐξ αἰδήμ τῶν ἔτερον τοῖς ἕτεροις ἀπαντεῖται.* apud Aul. Gell. N. A. L. VI. c. II. cf. Cic. de Divini. L. I. 55. Seneca Conf. ad Helv. c. 8. de Benefic. L. IV. 7. Secundum Anton. fatatio dependet non solum a causis proxime aut longinque antecedentibus, sed etiam a causis per omnes universi partes longe lateque sepe extendentibus vid. L. V. §. 8. Seneca cur horis viris mala fiant c. 5. irrevocabilis humana pariter ac divini cursus vehit ep. 77. Fata rata ac fixa sunt; atque magna et aeterna necessitate ducantur.

§. X.

Ex hac causarum omnium colligatione et ordine continuato probarunt Stoici divinationem, ac rerum futurorum scientiam, eaque apud illos nihil aliud est, quam scientia causarum et signorum, quae eventuum consecutionem antecedunt. Quae quantum proprietatum in Deum cadit, quoniam is solus tenet et perspicit seriem causarum unumquodque efficientium; tamen et homini partem huius intelligentiae causarum et signorum futura declarantium, relictam esse voluerunt, aut divinitus datam, aut arte et observatione longinqua comparatam. Videatur Ciceronis de divin. L. I. in primis c. 52, 56 et 57. Quocirca mihi persuasum est, divinationem apud Stoicos magis ex rationibus physicis et naturabilis, quam ex superstitione natam esse.

§. XI.

Sequitur, ut doceam, quae sit Stoicorum de actionibus mentis humanae, eiusque appetitione sententia. Ex iis, quae nunc disserimus, iam coniectura assequi possumus, Stoicos abhoruisse a doctrina eorum, qui hominum actiones ex voluntate libera et arbitrio nasci volunt. Si enim omnia, quae fiunt in mundo, aeternae legis necessitate, quae fatum dicebatur, fluunt et veniunt, humanae etiam actiones, maxima et gravissima pars eorum, quae fiunt, ex ista necessitate derivari debent. Haec coniectura probatur omnium, qui Zenonem secuti sunt, auctoritate, testimonio et consensu, in hocque omnis conspirat Stoa, humanas actiones esse articulos necessarios illius perpetuae mutationum omnium catenae, cuius summus articulus initio rerum omnium alligatus est, novissimus vero rerum omnium est finis ac determinatio. Sed, ne quis forte temere nos hic locutos esse putet, explicabimus Stoicorum doctrinam de humanarum actionum natura et lege, ac considerabimus, quid in iis fortuitum ac arbitrarium putaverint.

B 3

Actio-



Actionum humanarum, secundum Stoicos, hic est ortus. Visa,^{a)} antecedunt, iisque impellimur ac moveamur. Tuna assensio ἐποληψις, quae est de bonis ac malis iudicium, sequitur. Post oritur aut appetitio, δέσμη, aut declinatio ἀφεξη, quae cum constanter manent, existit ἐκκλισις, et ἀφεξη, illa est declinatio permanens, haec appetitio permanens, ad futurae vitae institutionem necessariae, et Academicorum inconstantiae ac ἐποχης oppositae. Visa, iudicarunt Stoici, non esse in nostra potestate, sed nobis inferri vi quadam, cui non possit resisti;^{b)} et nos in ea fati ac perpetuae legis necessitate incidere. (Quicquid enim fit, fato factum est) Quod vero attinet ad nostrum de visis iudicium, nostramque assensionem, nec haec nostrae voluntatis liberae est, nam causas habet, nihil enim sine causa fit;^{c)} et hae causae positae sunt in visis, quae aut sola ratione percipiuntur, aut extrinsecus per sensus nobis offeruntur,^{d)} nec mens nostra assensionem potest retinere, sed perspicuis cedere cogitur, eodem modo, ac lanx ponderibus impositis deprimitur.^{e)} Appetitio autem et declinatio prorsus dependet ab assensione, natura enim sua cogitur homo salutaria petere et

^{a)} Visa grecce dicebantur φαντασίαι, iisque comprehendebantur tam notiones sensuales, rebus externis per sensus perceptis excitatae, quam intellectuales, ex notionibus sensualibus ductae, quae et notiones puri intellectus nancupantur. De varia verbi φαντασίαι apud Stoicos potestate, et de diversa visorum apud Zenonem et Chrysippum natura videatur Tiedemann in libro supra laudato Parte I. pag. 60. sq.

^{b)} Stoicus apud Gellium N. A. L. XIX. c. 1. dicit, visa animi non voluntatis sunt neque arbitraria, sed vi quadam sua inferunt se hominibus nescitanda.

^{c)} Videatur Chrysippi argumentatio apud Ciceronem de Fato c. X. motus sine causa nullus est; Ergo et assensio, quae animi motus est, sine causa nulla est. Et secundum Plutarchum de Stoicorum repugnantibus p. 1045. negavit idem, hominis esse, vello aliquid cum desit causa, quae illum impellat, aut cum rationum contrariarum paria sint momenta.

^{d)} Videatur Plutarchus l. c. ubi Chrysippus negasse dicitur supervenientem quandam animi nostri facultatem, quae tollat dubitationem ex paribus rerum contrariarum momentis ortam.

^{e)} v. Cicero Aead. Q. L. IV. c. 12. Perpetua erat Stoicorum cum Academicis alteratio, qui et percipi aliquid posse negabant, et assensionem retineri posse affirmabant

pestifera fugere.^{b)} Εὐλογίς denique et ὀρεξίς, nostrarum actionum necessitatem augent. Ex hac Stoicorum doctrina apparet, eos statuisse, eandem esse actionum humanarum necessitatem immutabilem ac ceterorum eventuum, quorum consequentia dependet a totius naturae copulatione, cognatione, ac prima constitutione.

§. XII.

Quamquam haec de fato sententia antiquissima sit inter homines, et omnem exsuperet aetatem philosophorum, tamen nunquam defuerunt, qui se illi opponerent, et cum fato aut iusta virtutis praemia, et honores, aut peccatorum vituperationes et poenas conciliari posse negarent. Id etiam Stoicis usū venit; fuit magna obtrectatorum turba, Stoicam de fato et ratione actionum humanarum sufficiente opinionem calumniantium; neque illos rationibus refutarunt, sed ut fere semper mos fuit, elicientes ex hac de fato sententia ea, quae cum virtutis studio vix conciliari posse viderentur. Quanta hoc animi contentione factum sit, apparet ex Plutarcho, de rep. Stoic. p. 1050, Cicerone in libro de fato, et Gellio. N. A. VI. 2. Adversariorum nonnulli, fato omnem e vita tolli actionem putabant, idque affirmabant argumentatione illa, quae dicitur ignava ratio, ἀγόρας λογίς, secundum quam omnis in vita labor, cura, et diligentia supervacua sunt, nihilque efficiunt. Huius rationis consequentiam bene refutavit Chrysippus distinctione inter simplicia et confatalia aut copulata. Vid. Cicero de Fato c. 12. et 13. et Seneca N. Q. L. II. c. 37. qui propter hanc distinctionem et preces Deo rite adhiberi posse, et votorum vim esse ac efficaciam ostendit. Alii vero gravioribus telis Stoicos

per-

mabant, quibus positis et suscepisti Stoici putabant et actionem et virtutem tolli
vid. Cic. l. c.

b) Vid. Epictetus in Enchirid. c. XXXVIII. edit. Berkel. τιθυκε γαρ προς τητα παν
ζωης, τα μετ βλαβερα φαινομενα, καη τα απτα μυτι φινγει καη εκτριπτει τα δι
αφειλημα, επι τα μυτι μυτι μετινει τηδησινα.



persecuti sunt, sic enim concludebant; si omnia fato sunt immutabili, etiam actiones humanae, maleficia, vitiaque fato sunt, nec committi non possunt; id si ita est, peccatorum iustae vituperationes, supplicia, poenae esse non possunt. Vid. Gellius N. A. L. VI. c. 2. et Plutarchus de repugn. Stoic. p. 1050. Cum igitur Stoici se undique premi, et ex doctrina de fato vitiorum imputatatem, quam semper improbarunt, elici posse sentirent, ab hac reprehensione se liberare, et necessitatem immutabilem ab assensionibus removere, et causarum seriem sempiternam tueri studebant. Invenit igitur Chrysippus discrimen causarum perfectarum et adiuvantium, seu proximarum, illae *αὐτοτελεῖς*, haec προκαταρχικόν graece dicebantur vid. Cic. de Fato c. 17. et Plutarchus de repugn. Stoic. p. 1055; eaque doctrinam de fato cum illa de arbitrio hominis conciliare voluit. Huius distinctionis haec est ratio. Perfectae causae in se habent vim necessitatis insuperabilem, ita ut ea, quae ex illis sunt, non possint aliter fieri, ac futura sunt, v. c. semen est perfecta causa futurae arboris, continens huius partes, figuram, genus, nec arbor futura fuisset, nisi semen assuisset. Proximarum causarum longe alia est ratio, eas adesse quidem oportet, ut aliquid efficiatur, sed illis nulla inest necessitas, quae efficiat, ut ita eveniant ea, quae futura sunt, ac eveniunt. Lapide cylindro hanc proximarum causarum illustramus rationem, cuius similitudine etiam Chrysippus utitur in expositione causarum proximarum. Si nempe cylindrus monte praecipit protruditur, impulsio est causa proxima motus cylindri, quae nisi antecessisset, cylindrus nunquam locum mutavisset. At haec impulsio non est causa, ut aut velocius aut tardius lapis decurrat, id enim dependet a forma cylindri magis aut minus rotunda, et a natura montis, magis aut minus praecipitis; Eadem secundum Chrysippum nostrarum assensionum est ratio. Quod in cylindro impulso, id in assensionibus nostris visum efficit, visum nos excitat et commovet; at quae inde oritur assensio, illiusque

que natura, non a viso, sed a nostri animi natura proficiscitur, haec illam moderatur. Hac distinctione causarum efficere voluit Chrysippus, et assensiones nostri esse arbitrii, et omnium mutationum causas esse efficienter antecedentes. Sed haec distinctione causarum Chrysippea pugnat cum isto physico praecepto, quo omnia, quae fiunt, causa fiunt, causa enim, quam introduxit Chrysippus proxima, non est causa, sed casus fortuitus; id brevissime ostendam. Ponatur igitur, τὸ A, quo visum intelligo, sit causa proxima τοῖς α, β, γ, δ, quae sint assensiones diversae naturae ac virium, v. c. approbationes et reiectiones magis aut minus vehementes, quae omnes secundum Chrysippum ex viso A oriri possunt. Si ergo τὸ A efficit assensionem α, casu id sit et nulla ratione, nam propter naturam τὸ A, et β, et γ, et δ, assensiones τοῦ α differentes oriri potuerunt; Deinde id, quo τὸ α differt a τῷ β. γ, δ, nullam rationem habet in τῷ A, alias τὸ A non sussit causa, proxima τοῖς α, sed perfecta. Causa proxima igitur non est causa, sed casus fortuitus, et qui distinguunt inter causas perfectas et proximas, proprie dicunt: aliorum eventuum sunt causae, aliorum nullae. At Chrysippus non fuit tam hebetis ingenii ac in physicis plumbei, ut diceret, nostrarum assensionum nullas esse causas, sed id, quod in causis proximis deest, repetit a natura mentis, qua singulari quisque homo praeditus est, hancque naturam animi nostri causam esse dicit, ob quam quis illud potius, quam hoc approbet et eligat, et non approbet. Sed quid haec verba, *natura mentis nostrae*, significant? aut facultates et vires, quibus quisque pollet, aut harum facultatum exercitationem et conformatiōnem; tertium excluditur. Si facultates, quas quisque habet, significant, tunc assensiones non sunt nostrae voluntatis, nam facultates et vires proprias quisque Deo debet, Deus ergo esset nostrarum assensionum auctor. Sin autem verbis, *natura mentis nostrae*, indicatur virium a Deo acceptarum conformatio, tunc etiam humano arbitrio nihil relinquitur. Etenim nostrarum virium for-

C

matio



matio copulata est cum sis factis, quorum nos suimus spectatores et comites, idque neutquam in nostra positum est voluntate, et incipit inde a prima infantia, in qua quisque conscientia sui ipsius caret, coecoque impetu fertur. Hac igitur distinctione causarum nihil efficitur in quaestione de libertate assensionum humanarum, et pugnat cum illo placito, quo omnia, quae fiunt, causis fiunt. Postquam autem Stoici cooperant, factorum in hoc mundo et assensionum humanarum explicare rationem, coacti sunt, eius quoque, quod fieri potest et non potest, explicare naturam, et de hac obscura et ab ipsa natura involuta quaestione suum proponere iudicium. Quae cum nuperime rursus inchoata pepererit novam inter nostros homines altercationem, et ad doctrinam de fato pertineat, non alienum esse iudico, virorum ioter antiquos acerrimorum de eadem re proponere iudicium et altercationem. Haec de eo, quod fieri potest ac non potest, quaestio, comprehenditur ratione dominante, cuius saepius apud veteres fit mentio.

§. XIII.

Huius rationis dominantis, quae graece plerumque κύριειων λογος, dicta est, naturam explicarunt Plutarchus de rep. Stoicorum p. 1055. qui eam λογον περι δυνατων appellat, Cicero de Facto, et Epicetus apud Arrianum L. II. Diff. 19. Qui quoniam uberioris, quam illi, eam exposuit, sequendus videtur. Verba autem Arriani haec sunt. Ο' Κύριειων λογος, απο τοισιτων τινων αφορουσων ήρωτηθαι Φαινεται. Κοινης γαρ εισης μαχης τοις τεσι τουτοις προς αληθη, τω, το παν παρεληλυθος αληθεις αναγκαιον ειναι. και τω, δυνατω αδυνατον μη ακολυθειν. Και τω, μη δυνατον ειναι ο ετι έσιν αληθεις, ετι έσοι. Συνιδων την μαχην ταυτην ο Διοδωρος, τη των περιτων δυνη πιθανοτητι συνεχειστο προς παραστιντα, μιδεν ειναι δυνατον ο ετι έσιν αληθεις, ετι έσοι. Λοιπον έμεντις ταυτα τηρησει των δυνη, οτι έσιτε τι δυνατον, ο ετι έσιν αληθεις, ετι έσοι. ηση, δυνατη αδυνατον εικ ακολυθει. ου παν δε παρεληλυθος αληθεις αναγκαιον

πειρού εστι, παθαπέρ οἱ περὶ Κλεανθην Φερεδαγ δοκουσιν, οἵς ἐπὶ πολὺ συνηγενεῖς Αντιπατεῖσος. Οἱ δὲ τὸν αἷλα δύο, οἵτι δύνατον εἶναι ὁ γάτος εἶναι αἴληθες, εἰτ' εἶσαι καὶ παν παρεληλυθός αἴληθες σίγαγκαχον εἶναι. δύνατον δὲ αἴδηντον αἴπολεθεῖ. Reliqui scriptores graeci ac latini de hac ratione, quantum memini, praeter nomen nobis nihil reliquere. De ea autem haec tenenda sunt.

1. Arriani locus ita legendum est, ut eum emendavit Uptonus in observationibus ad Arrianum. Delendus nempe articulus in verbis τὸ παν παρεληλυθός; deinde etiam particula μη delenda est in propositione tertia, alias istae tres enunciations non sunt ex repugnantibus, ut patet ex Diodori ratiocinio.

2. Verborum haec est potestas. Αφεζαχ, quibus argumentatio nitebatur, sunt principia, rationes, propositiones, eadem vi occurrit hoc verbum apud Diog. Laert. L. VII. segm. 76. ubi de rationibus usurpatur, quibus axiomata vera nituntur. αἴληθες apud veteres id dicebatur, cuius est instantia aut in superiori tempore aut in consequenti vid. Cicero de Fato c. XII. et Sextus adv. Log. L. II. f. 88. αἴληθες εἰσὶ ὁ ὑπαρχεῖ τε καὶ ἀντικείμενος τοι, (scil. falso, quod non existit.) Verbum αἴπολεθεῖ autem usurpatur de copulatione enunciationum praemissarum in syllogismo rite facta vid. Sextus Emp. adv. Log. II. segm. 304. propositionis igitur secundae δύνατω αἴδηντον μη αἴπολεθεῖ haec est potestas, notio eius: quod fieri potest, excludit contrariam eius, quod non potest fieri, et nunquam τὸ δύνατον potest mutari in αἴδηντον. Cetera verba evidētia sunt. De rebus ipsis haec notanda sunt.

3. Concedebatur ab iis, qui tunc temporis τὸ δύνατον et αἴδηντον anquirebant, veras esse tres istas propositiones, quas ab initio capit is Epicletus, si per se singulæ considerentur, sed contrarias esse, si comparentur inter se et coniungantur. Non tamen ita sibi sunt contrariae, ut quaevis excludat reliquas duas, sed ita, ut positis binis tollatur tertia. Inde etiam efficitur, ut possit esse triplex de earum compositione sententia, quarum primam Dio-



dorus Megareus της ασθετικης μαρτυς, alteram Cleanthes, tertiam Chrysippus, Stoicae disciplinae principes, probarunt.

4. Pertinent autem propositiones tres παν παρεληλυθος αληθες ονταγνωσιν εσι, δυνατω αδυνατω μη απολεθει, et δυνατον εσι ο ειπεται αληθες ετι εσου; ad quaestioneum, utrum res quae in mundo gerantur, necessariae sint nec ne, et utrum omnes, an quaedam tantum. Qui sumtis duabus primis, tollit tertiam, necessitatem rerum omnium, et praeteritarum et futurarum, affirmat; quod fecit Diodorus; qui duas posteriores sumit, omnium factorum ponit contingentiam; hoc fecit Cleanthes cum suis; qui primam et tertiam copulat, ponit necessitatem rerum praeteritarum et futurarum contingentiam; quae fuit Chrysippi sententia. Sed hoc uberior illustrandum est.

5. Diodorus ponebat propositionem primam, omne praeteritum necessario verum est, et alteram, τω possibili excluditur το impossibile, et inde recte colligebat, quicquid igitur neque nunc verum est, nec aliquando verum erit seu fiet, id omnino fieri non potuit, et quicquid fieri potest, id aut iam est, aut certo futurum est. cf. Cicero de Fato c. IX. Si ergo quaeritur, utrum possibile fuerit, ut Socrates cicutam non biberet, e Diodori sententia respondendum est, nou fuit possibile, quoniam non est factum, si fuisset possibile, ut non biberet, certo non bibisset. Diodoro itaque placuit, modum της possibilis esse hunc mundum, et quod in eo factum, aut certo futurum est, quod autem nec factum nec futurum est, id omnino fieri non potuisse.

6. Cleanthes ponebat propositionem alteram, τω possibili excluditur το impossibile, i. e. concedebat, has notiones sibi repugnare, si in se spectentur, et universe, nec in eandem rem possibile et impossibile cadere posse. Addebat vero tertiam quoque propositionem, fieri posse, quod nec sit verum, nec futurum sit, atque sic recte colligebat, falsam esse propositionem primam, omnia praeterita esse necessario vera. Dabat nempe hoc, veritatem

tem habere res praeteritas ob propositionem secundam, nec e
vero in falsum converti posse; sed negabat, *necessario* inesse illam
veritatem in rebus praeteritis, putabatque, eas alio quoque modo
evenire potuisse, et ponebat omnium rerum contingentiam. Si
ergo quaeritur, utrum Socrates etiam alio modo interire potuerit
ac periit, secundum Cleanthem sic erat respondendum; Socrates
cicuta quidem vere periiit, sed nulla inerat in hoc mortis genere
immutabilis necessitas, etiam aliud mortis genus Socrati potuit
accidere. Ex his appareat notionem τὸς possibilis, secundum Clean-
them late patere, et in ea omnia contineri, quae cogitari possunt
et tanquam vera recipi, etiam si nunquam vere accidentant.

7. Chrysippus tanquam arbiter honorarius, medium inter
Diodorum et Cleanthem ferire voluit, horumque conciliare dis-
sensem; quo circa posuit primam et tertiam propositionem, inde-
que collegit, falsam esse secundam. Scilicet largiebatur, omnia
praeterita necessario esse vera, et possibile esse etiam id, quod
nunquam vere futurum sit, et inde putabat consequi, ut τὸς possi-
bili non semper excludatur τὸς impossibile; in omni enim re futu-
ra incertum esse, quid sit eventurum, et fieri ea quoque posse,
quae antea visa fuerant ἀδυνατα. Ergo ad quaestione de morte
Socratis sic erat secundum Chrysippum respondendum. Ante-
quam mortuus est Socrates, aliud quoque mortis genus fuit possi-
bile, nunc postquam cicuta mortuus est, omnia reliqua mortis
genera pertinent ad ἀδυνατα cf. Cic. de Fato c. 7. His apparet,
secundum Chrysippum notionem τὸς δυνατὸς et latiorem et strictio-
rem fuisse. Latior, quae complectitur omne, quod cogitari pot-
est, valebat in omniibus rebus futuris. Strictior autem, quae
praeSENTIS mundi definitur statu et circumscriptione, valet tantum
in rebus praeteritis. Haec sunt trium summiorum in antiquitate
philosophorum de possibili et impossibili tres variae ac dissiden-
tes sententiae.

C 3

§. Hoc



8. Hoc autem differendi gentis, appellarunt veteres λόγον κυριευόντα propterea, quod ista disputatio pertinebat ad fatum, et quaestionem de rerum necessitate ac contingentia. Proprie igitur λόγος κυριευόν latine est exprimendus: ratiocinium fatale. Sic verbum κυριευειν de fato occurrit apud Plutarchum de repugn. Stoicorum p. 1055, ubi fatum dicitur κυριωτάτη πάσων ἀναγν.; apud Gellium autem fatum nuncupatur rerum domina ac arbitra N. A. L. VI. c. 2.

9. Ex his omnibus sequitur, ut λόγος κυριευών non sit ratiocinii quoddam genus fallax et captiosum, ut multis videtur, v. c. Menagio ad L. II. Diog. Laertii segm. 108. qui tamen praeter nomen nihil de hoc ratiocinio compilavit, sed obscura quaestio de δύναται et ἀδύναται, quae a veteribus, huius generis quaestionibus non faventibus, propterea adnumeratur captionibus dialecticis, quod in ea definienda facile poterat errari, et magna in ratione differendi desiderabatur exercitatio, si quis eam vellet explicare, ac suum de ea re defendere iudicium.

§. XIV.

Si autem quaeritur, quae fuerit vera et propria Stoicorum de fato et de libertate humanarum actionum sententia, (quae enim hucusque de distinctione causarum chrysippa, et de rerum omnium contingentia, secundum Cleanthem, aut futurarum, secundum Chrysippum differimus, ea pugnant cum horum virorum, et totius familiae sententia de causarum quidque efficientium serie aeterna, immutabili, et continuata, quam constanter defendunt;) respondendum esse existimo; Stoicos proprie in voluntate hominis libera nihil reliquisse, sed omnium eventuum necessitatem immutabilem statuisse. Quae autem hi viri, de causis proximis, et de rerum omnium contingentia differunt, ea propter adversariorum cavillationes et calumnias perpetuas differuerunt, eo quidem consilio, ut a se removerent illorum invidiam et obtrectationem, quibus certo

certo persuasum est, doctrinam de fato non conciliari posse cum virtutis studio, praemiis, et laudibus. Indeque factum esse existimmo, ut alii Stoici, et hi quidem non ignobiles, totum hoc genus disserendi de rerum contingentia, et causarum distinctione, improbarent, et intactum relinquerent. Videatur Epictetus apud Arrianum L. II. diss. 18. et 19. qui quaestiones de factorum necessitate aut contingentia inutiles esse iudicat, et respuit. Antoninus autem, et Seneca, nisi me quaedam forte fugiunt, has quaestiones nunquam tetigerunt aut tractaverunt. His concessis, nova et gravior oritur quaestio. Qui enim Stoici suam de fato sententiam conciliare potuerunt cum doctrina de virtutis studio, praeceptisque suis in disciplina morali? Hoc profecto concedet quisque, cui fuit cum antiquitatis monumentis societas quaedam, post Socratem, et Antisthenem, nullos inter veteres extitisse philosophos, qui de pietate, honore, et precibus, quae Deo exhibenda sunt, de officiis, quae aliis tribuenda sunt hominibus, de cura, quae in reipublicae, et eorum, qui nobiscum cognitionis vinculo coniuncti sunt, salutem est conferenda, qui de mentis humanae dignitate et honestate, tot ac tam magnifica suis hominibus tradiderint praecepta, quanta Stoici tradiderunt. Nulla porro familia suos ad iustitiam colendam, et ad honestatem in omni vitae actione tuendam, ita adhortata est, ut Stoici, qui mihi in primis effecisse videntur, ut in mentibus suorum civium pietatis ac decori sensus ac studium remaneret, nec penitus opprimeretur philosophorum, voluptati primas partes tribuentium, dominatu ac auctoritate. Haec ergo omnia aut non serio et ex animo suis tradiderunt hominibus Stoici, aut pugnant cum physiologia. Sed quis se hac velit contamine impietate, et familiam tam venerabilem, qualis Stoica est, accusare simulationis, quae respuens constantiam diu occultari non potuisset? Ergo Stoici sua praecepta physiologica deferere solebant cum ad praecepta de moribus ventum esset? Sed nec hoc dixerim; Nova ratione conciliare studebant doctrinam de fato
 cum



cum virtutis praeceptis, i. e. sciungebant quaestione de fato a virtutis studio; Tuebantur nempe illum arbitrii et liberae voluntatis sensum, quem indidit pectori nostro divina providentia, et qui statim se prodit, cum de omittenda aut perpetranda actione deliberamus. Hic nostrae libertatis sensus, perpetuus nostrarum actionum comes, dux erat Stoicis in quaestione moralibus, harumque cum vita communi coniunctione. Propter hunc sensum dicunt hominem esse liberum, libertatem esse *autonομιαν*, hominem posse a se arcere pericula, morbum, casus graves, improbitatem; et eum esse omnium actionum dominum supremum et unum. Longe alius erat apud Stoicos doctrinae de fato usus et applicatio, pertinens tantum ad quaestione de divina providentia, administratione universi mundi, et quae cum his cohaeret, de tolerandis casibus humanis. Sic secundum Senecam ep. 16. doctrina de fato adhortari nos debet, ut omnes casus fortiter perferamus; et secundum Epicetetum apud Arr. L. I. c. 12. debent homines propter necessitatem, qua omnia in hoc mundo administrantur, iis rebus contenti esse, quae ipsi accident, nec unquam accusare divinam providentiam, quae universi causa bene omnia disposuit. Quando de hac omnium eventuum necessitate differunt Stoici, tunc ille liber dicitur, qui composito animo fatum sequitur, et iis rebus contentus est, quas ei immutabilis naturae lex tribuit.

§. XV.

Restat, ut doceam, quis sit, secundum Stoicos illius coniunctionis, contagionis, et necessitatis, qua omnes mundi partes, earumque quas habent mutationes, cohaerent, effectus atque consequentia. Nimurum non aliis nec deterior, quam universi mundi, et omnium, quae in eo insunt, rerum status optimus; nihil enim in eo, nec melius effici, nec melius administrari potuit, ita, ut si quis in eo quicquam corrigere vellet, aut impossibilia desideraret, aut optima depravaret. ^{c)} Haec Stoicorum de rerum omnium

status

c) Vid. Cicero de N. D. II. 34.

statu optimo uberioris illustranda est sententia. Primum docent, omnia quae sunt propter incolumentem et conservationem universita esse constituta. Hanc tutantur coelestium rerum conversiones, anni vicissitudines, hominum et ceterorum animalium ortus ac interius, et omnes rerum mutationes, terrae tremores ac motus, inundationes, bella, seditiones. Sine his rebus omnibus totius integritas manere non potuisset.^{d)} Quin et omnis improbitas, et quicquid ab hac perpetratur flagitii, ad universi salutem pertinet, nec haec sine illa constare potest.^{e)} At non solum universi mundi optime constituta est salus ac integritas, sed et singularum individuorum, in primisque hominum; horum felicitas cum totius mundi salute arctissime copulata est.^{f)} Malum, secundum Stoicos, in hoc mundo nullum est, si nempe malum est effectus felicitatem humanam minuens aut plane tollens; omniaque quae possunt generi humano accidere illius saluti accommodata sunt, et illi maximas afferunt utilitates. Sic corporis humani fabricatio sollers ac subtilis, a qua morbi, dolores, debilitates, aliaque huius generis incommoda oriuntur, maximarum utilitatum est effectrix, nec sine illa corpus humanum ad tam varias et artificiosas operas aptum esse potuisset. Videatur Chrysippi oratio apud Gellium N. A. L. VI. c. I. Par est reliquorum malorum, quae homini evenire solent, ratio; omnia enim, quae nobis dura et aspera videntur, ut morbi, opum amissio, egestas, cognatorum et amicorum mors, mutilatio corporis et alia huius generis, non id spectant, ut cruciemur, sed ut excitemur ad constantiam, fortitudi-

^{d)} Vid. Arriam L. I. diff. 12.

^{e)} Id aperte docet Chrysippus apud Plutarchum de repug. Stoicorum p. 1050. οὐ κακίς γενέτο πῶς κατὰ τοὺς της φυσικὸς λόγούς, καὶ, (ἰατρὸς εἰπω) οὐ ἀχειροῖς γενέτο πῶς τὰ ὄλμα, οὐτε γαρ ταχαῖς οἱ. Et pag. 1051. et contra Stoicos p. 1065.

^{f)} Anton. II. 3. πάντι φυσικῷ μηδὲ ἀγαθῷ, οὐ φίλος ἡ τὰ ὄλμα φύσις, καὶ οὐ ἔπειρος ἐστικόν. L. IV. §. 23. πάντι μοι συναρμόζει, οὐ τοι εὐαρμόζεται, οὐ κορύς L. X. §. 20. επαρφίεται ἕκαστη, οὐ φίλος ἕκαστη η τὰ ὄλμα φύσις, καὶ τοῦτο συμφίεται, οὐτε ἔπειρη φίλος.



tudinem, temperantiam, ceterasque virtutes, quibus omnis humana felicitas ac salus continetur. §)

§. XVI.

Quibus expositis quis est, qui non intelligat, in physiologia Stoica iam inesse semina illius doctrinae, secundum quam omnia in hoc mundo optime et perfectissime constituta sunt et effecta, illius nempe doctrinae, cuius patrocinium hodie gravissimi et acerrimi philosophi suscepereunt, quae et una maiestate divina digna, et ad placandum animum humanum aptissima est. Concedo quidem, Stoicos non ita magnifice et praecclare de omnibus rebus statuisse, ut illi, qui hodie mundi statum optimum defendunt, praesertim rerum omnium progressionem sempiternam ad maiorem felicitatem et perfectionem ignorant, de eaque nihil dicunt; sed nunc iam est apud illos conditio rerum omnium optima et absoluta; tamen multa docent Stoici, quae nitent ac laudanda sunt. Fortasse autem ad maiora ascendissent, si eorum de immortalitate animi sententia certior fuisset; hanc magis optant, quam probant, ut et reliqua omnis antiquitas. Nostri homines facile praestare potuerunt Stoicis, cum lux divinitus missa, ad meliora et certiora de maximis rebus nos erudiverit.

g) Vid. Senecae liber cur bonis viris mala accident cum sit providentia, in primis c. 3. et 5. et Anton. L. V. §. 8. Haec rerum omnium vt, nunc est, constitutio et administratio optima ac perfectissima causa etiam mihi esse viderur, quare Stoici crediderint, mundum renovatum post praesentis exultionem eundem futurum esse, qualis hic noster nunc est, easdem habiturum esse partes, vicissitudines, incolas, et eundem profus ornatum. Vid. Lactantius divin. Instit. VII. c. 23. Eusebius praep. evang. L. XV. c. 18 et 19.

PLVR. REVER. CLARISS. DOCTISS. QVE

S C H V L Z I O

S. P. D.

JOHANNES MATTHIAS SCHROECKH

*Etsi, quem socium tibi esse voluisti in conflitu publico, cui hic libellus
TVVS exponendus est, non hoc mihi maneris datum existimo, ut laudibus
TVIS praeditandis hoc loco inserviam, cum in eo, post summae in mo-
buevolentiae TVAE testificationem, videri possem animo magis meo ob-
temperare, quam iudicio; tamen, qui fidei et simplicitatis historiae exem-
plar quoddam merito sequor in iis omnium maxime, quae publice a me
aguntur, lecturos libellum TVVM latere nolo, cur eidem nomen meum
inscriptum sit. Tu quidem VIR PL. REV. et argumentum illius dele-
gasti, nobile sane ac dignum, in quo elaboraret industria TVA, et in eo
tractando ita versatus es, ut nequaquam TIBI verendum sit, ne accuse-
ris a iudicibus aequis et intelligentibus, in compendium tantum a TE
missa esse, quae doctissimi scriptores de his doctrinae Stoicae capitibus, ad
aetatem usque nostram exposuerunt. Nam primum fontes huius historiae,
qui quidem supersunt, denuo TIBI adeudos censuisti; deinde cum inter-
pretes, qui ex iis hauserunt, placitorum Stoicorum, de quibusdam nimis*

tenuiter aut obscure tradiderint, in aliis explicandis plurimum inter se dis-
enserint, hoc egisti maxime, neque tu, si quid video, infeliciter, ut iis
partim curiosa investigandi diligentia, partim sollertia quadam iudicandi,
novam lucem affunderes. Quod in primis patere arbitror in explana-
tione eius coniunctionis, quae ex mente Stoicorum, Deum inter et mun-
dum intercedit; ubi non modo sparsa passim et parum ab aliis animadversa
veri vestigia collegisti, sed etiam praeclarorum ingeniorum honori consu-
laisti, ne porro videantur nimis abhorrentia ab omni ratione dixisse.
Quare cum hic libellus plane tuus sit, mori magis quam necessitati obse-
cutorus, in eo defendendo tibi adero. Sed iam alios ex hoc documento
ingenii atque doctrinae tuae augurari velim, qualis in docendis bonis
litteris, et in augendis decoribus amplissima atque ornatissima gentis
tuae futurus sis. Equidem non modo candidis votis te tuaeque
omnia prosequar; sed etiam officiorum quovis genere, quae tibi apud
me semper erunt paratissima, efficiere studebo, ut intelligas, me secundis
rebus tuis, velut meis, laetari, et amoris tui in me perpetuitatem ve-
hementer concupiscere. Vale.

DE
COHAERENTIA MVNDI PARTIVM
EARVMQVE CVM DEO CONIVNCTIONE
SVMMA, SECUNDVM STOICORVM
DISCIPLINAM

DISPVATATIO PHILOSOPHICO HISTORICA

PARS. POSTERIOR

QVAM DEFENDIT

PRAESES

GOTTLOB ERNST SCHVLZE

AA. MAGISTER ET DIACONVS AD AEDEM ARCIS
ET ACADEMIAE

DIE IV. IVNII A. C. CI^oCCLXXXV.

HORIS POSTMERIDIANIS

ASSVMTO SOCIO

CHRISTIANO BEATO KENZELMANN

A. A. M A G I S T R O.

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

DR

CORRERENTIA MUNDI PARTIM
EVANGLIAE ET DEO CONVENTIONE
EVANGELIA STOICRUM
DISCIPULINUM

DISPUTATIO THEOLOGICA HISTORICA

LIBER POSTERIOR

GRADUATIONIS

PRÆPARE

GOTTOB IRRENT SCHÄFER

AD MAGISTER ET DISCOPUS AD VEDIM ARCS

ET ACAD. MILV

DIE IN IANUAR. 1700 XXXX.

HOLIS TOTHEMIDIVINIS

ADIVAT. 1700

CHRISTIANO HANNO LINDEMANN

AD MARCH 1700

ALTHAEN

LIBERIS CAROLI CHRISTIANI DFGRI

§. XVII.

Quae hucusque de mundi partium concentu, et omnium in
mundo mutationum conspiratione cum universi integritate
differuimus, ea et notiora esse videntur, et ad probandum faci-
liora; etenim in hoc physiologiae loco Stoicorum non est errans,
vaga, et obscura opinio, sed constans et aperta. At altera, quae
nunc sequitur, nolitrae orationis pars, Stoicorum de nexu Dei cum
mundo complectens placitum, ea aliquid habet et laboris et disce-
ptionis. Etenim in explicando hoc placito, propter in-
opiam istorum librorum, in quibus fusi exposita fuit de natura
numinis divini quaestio, sequi coactus sum locos quosdam, quos
alienis ab hac quaestione libris intertexuere Stoici. Quin etiam
propter illam librorum Stoicorum inopiam adversariorum Stoici
systematis testimonia in hac causa non negligenda esse duxi. Quod
vero maximum est, inconstantia quaedam verborum, quibus Stoici
in hac causa utuntur, peperit multum difficultatis et obscurita-
tis, de eadem enim re utuntur vocabulis diverse quidem sonan-
tibus, sed eadem significantibus, ut plane mirabile fit, unde haec
inconstantia orta sit, cum in reliquis philosophiae locis conspi-
rans apud omnes Stoicos sit verborum usus et consentiens. Nec
non mihi persuasum est, fuisse apud ipsos Stoicos dissensum
quendam in hoc physiologiae loco, qui deinde peperit verborum
varietatem et inconstantiam. Has singulorum Stoicorum dissi-
dentes sententias recensere, nec operis esset, nec omnino fieri pos-
set propter librorum inopiam; iam multum praestitisse mihi vi-
deor, si centrum illud investigavero, circum quod, globosae
extremitatis instar, omnium Stoicorum volvuntur sententiae de
Deo



Deo et eius cum rerum natura copulatione. Sed ad proposi-
tum revertor.

§. XVIII.

Haec totius naturae conspirans, continuata ac perfecta com-
positio fluxit a summo numine, cuius vi, ratione, potestate,
mente, sapientia, sive quod est aliud nomen, quo Deum Stoici
significant, omnia coelestia pariter ac terrena conflata sunt, re-
guntur, sustentantur ac conservantur. Sine hoc numine divino
materiae, quae per se iners ac sine ulla vi iacet, nunquam fieri po-
tuisse motus, et compositio, nec sine eiusdem cura ac providen-
tia, mundi apta fabricatio constitisset et permanisset. In hoc
decreto omnis consentit stoia, hoc ubique praedicant, et accerri-
me defendunt. Suntque illorum de Deo et illius providentia
tam magnifica voces, ut eorum legens libros fere putes legere
philosophos, placitis christianaee religionis imbutos.^{h)} Ac fortasse
unum tantum est, quod in eorum placo de maiestate numi-
nis diuini summa, rite reprehendi possit, nempe decretum de ae-
ternitate principii patientis, ex quo omnia effecta sunt. Sed quae-
nam antiquitatis schola, gens et natio tam prudens fuit, ut ab-
duceret aciem mentis a sensuum consuetudine vitaeque communi-
nis usu, atque coniiceret, Deum materiam quoque, cum antea
non esset, creasse?ⁱ⁾ Nos profecto in iisdem versaremur tenebris,
nisi Deus ipse sua maiestate digniora nos docuisset. Tanta fuit
omni tempore humanae mentis in rebus divinis imbecillitas ac
inscientia!

§. XIX.

^{h)} Diligentissime ac copiose haec omnia probavit testimonij Stoicorum Cels. Tie-
demann Part. II. p. 190. seq. quem repeterem non cogito. Imprimis hunc ii
adeant, qui in doctrina Stoicorum de fato, nescio quid malignitatis, fraudis,
ac impietatis latere volunt; Fatum enim apud Stoicos propterea est immutabili-
lis Dei voluntas, quoniam Deus nihil nisi optima velle potuit.

ⁱ⁾ Videatur summus Mosheimus in dissertatione, Num philosophorum a vera re-
ligione aversorum aliquis mundum ex nihilo creatum esse voluerit, ad Cudwor-
thi systema intellectuale p. 957.

§. XIX.

Sed nunc consideremus, qualis Dei secundum Stoicos natura fuerit et existendi modus, quomodo numen divinum ad universum mundum se habeat, quomodo cum hoc cohaeret, quomodo in eo efficax sit, quomodo omnia, quae in mundo sunt ac eveniunt, cernat, audiat, sentiat, et ubique in tanta rerum mole praesens esse, eamque moderari et regere possit? utrum ea omnia Deus sola voluntate, vi, ac nutu suo confieiat, an quodam utatur instrumento ac ministro? Supra, §. III. ostendimus, antiquitatem ignorasse notionem purae mentis, et Deum inclusisse in quoddam corpus, aut imaginem et formam, quae sensibus comprehenditur. Qualis autem haec imago apud Stoicos fuerit, declarare videntur quaedam voces apud hanc familiam saepius obviae, Deum nempe dicunt τὸν δῆμον seu κοσμόν ψυχὴν, νεφ, ἀγεμονίκον; universi animam, mentem, rationem.^{k)} Ac ne quis forte putet, his verbis tantum significari originem et rem, e qua Dei notio ducta sit, et propterea Deum huius universi mentem dici, quod nulla potior in mundo res sit, e qua duci Dei notio, et cum qua comparari potuerit, quam animus humanus. Stoici enim prorsus incluserunt notio Dei in imaginem animi humani, eiusque formam, ita ut Deus eodem existendi modo gaudeat, quo animus humanus, eodem modo efficax sit mundo, quo mens in suo corpore, eodem modo cernat, audiat, sentiat, quo mens humana cernit, audit, sentit; Nec, maius quiddam animo complexi, Dei notio, a mente hominis ductam, purgaret ab eo, quod sensibus comprehenditur; nec illa notio

trans-

k) Anton. IV. §. 40. οὐτὶς ἐπιγνωσθεῖται πατέρα τοῦ κοσμοῦ, μηδὲ γένους τοῦ ψυχήτος μηδὲ ὑπερέχοντος, συνιγνωστού (seil. oportet.) Seneca N. Q. in Praef. Quid est Deus? mens universi, et L. II. c. 45. Iupiter est rex toni, animas ac Spiritus, mundani operis. Laetanius dio. Inflit. L. VII. c. 3. Stoici interdam sic confundunt, ut sit Deus ipsa mens mundi, et mundus sit corpus Dei.

E



transcendentalis est, in qua nihil cogitatur, quod e rebus corporis profectum sit. Probo hanc sententiam ex duobus apud Plutarchum locis; prior exstat in libro de repugnantiis Stoicorum, p. 1053. verba haec sunt; διὸς μεν γαρ ὡν ὁ κοσμος πνεωδης, ἐνθυς καὶ ψυχη ἐσιν ἔντες καὶ ἡγεμονικου: Alter vero in libro contra Stoicos p. 1077. ἐοικενον τῷ μεν αὐτέρωπῳ τον Δια καὶ τον κοσμον, τῇ δὲ ψυχῃ την προνοιαν, ὅπαν ἐν ἐκπυρωσις γενητα, μονον ἀφθαρτον εἶναι τον Δια των θεων ανακρωσιν ἐπι την προνοιαν, είτα ὅμις γενομενης ἐπι μιας της τας αἰθερος φύσις διατελειν αμφοτερος. Primum notandum, haec verba non esse Plutarchi verba, sed Chrysippi, et ex huius libris decerpta. In priori autem loco distinguuntur ψυχη mundi, et ἡγεμονικου mundi tanquam res diversae. In posteriori denique loco comparatur mundus et Deus cum homine, i. e. cum huius corpore et mente, mundus corpus est, Deus mens. Post dicitur, τῇ ψυχῃ scil. hominis similis est providentia divina i. e. providentia divina eodem fungitur munere apud Deum, et eiusdem est naturae, qualis apud hominem, et eius ἡγεμονικον, η ψυχη est. Tandem additur, in exustione mundi convenient in eundem aetheris locum providentia divina et Deus, et una in illo habitabunt. Ex his duobus locis patet, Stoicos distinxisse in Deo duas partes, nempe τῷ ἡγεμονικον, et την ψυχην, hasque duas partes similes esse τῳ ἡγεμονικῳ, et τῃ ψυχῃ hominis. Reliqua, quae ex his locis colligi poterunt, tum apparebunt, cum Stoicorum doctrinam de natura mentis humanae, et huius cum corpore commercio, investigaverimus.

§. XX.

Stoici tribuerunt animo humano partes octo, i. e. octo facultates, sensuum quinque, generandi sextam, eloquendi septimam, et cogitandi octavam. Vid. Diog. Laert. L.VII. segm. 157. et auctor libri de placitis phil. L.IV. c. 4. Vis cogitandi, sive rationalis facultas, dicebatur ἡγεμονικον, νοης, λογισμος, διναιμις λογικη

λογικην; Huius rationalis facultatis sedes perpetua in corde est collocata, vid. Diog. Laert. L. VII. segm. 159. et auctor libri de placitis phil. L. V. c. 5 et 21. Ex ea oriuntur reliquae facultates septem, quarum haec est ratio, uti describitur apud Plutarchum de plac. L. IV. c. 15. Procedit nimis inde a parte animi principali spiritus quidam, sive aer, qui per totum corpus, instar flagellorum polypodis, diffunditur. Visus, verbi causa, nihil aliud est, quam aura, radii instar, a principali parte ad pupillam intenta; eadem ceterorum sensuum ratio est, idem fons; ἡγεμονία nempe extendit ad externa corporis organa suum spiritum, et haec organa sunt tantum foramina, per quae spiritus internus ea, quae extrinsecus sunt, audit, cernit, sentit;) sed et aliud quoddam est munus huius spiritus, a principali parte animi producti, et per corpus diffusi; per eum videlicet in corpore suo animi principatus efficax est, illudque movet. Hoc appareat ex loco Senecae ep. CXIII. ubi definitio ambulationis genetica, quam Cleanthes dedit, proponitur; secundum quam ambulatio est spiritus a principali usque in pedes permisus. ^{m)} Quando corpus sopitum iacet, tunc principatus animi spiritum, per corpus diffusum, attrahit, et ambo eodem sunt loco, quae causa est, cur in somno nihil sentiamus. Vid. Diog. Laert. L. VII. seg. 158. Plut. de plac. L. V. c. 24. In morte autem hic spiritus prorsus perit, vid. Plutarch de plac. L. V. c. 24. Postremo adhuc observandum est, hunc spiritum, per totum corpus diffusum,

E 2

quo

D) Propterea a Stoico apud Ciceronem dicitur: mens sensuum fons est, atque eriam ipsa sensus est, eaque naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus moyetur. Acad. quaest. L. IV. c. 10. Haec naturalis vis est spiritus a principali parte extensus.

m) Chrysippus quidem hanc definitionem improbavit, et fontem ambulationis in ipsa principali animi parte posuit; vid. Sen. l. c. tamen Cleanthis definitio restatur nonnullos fuisse inter Stoicos, qui crederent, sine spiritu suo ἡγεμονία in corpore non efficax esse posse. Id et Ciceronis verba Acad. Q. IV. c. 10. innueruntur.



quo quidque externarum rerum percipimus, ψυχην et πνευματικαν a Stoicis dici, si nempe opponatur τη γηγενικην.")

§. XXI.

Si hanc de natura mentis humanae, inter Stoicos, sententiam ad locos, §. XIX. ex Plutarcho citatos, accommodamus, hi et lumen accipient, et, quae vera inter Stoicos, de natura divina, fuerit sententia, apparebit. Intelligimus enim, duas Dei partes, five naturas, τη γηγενικην nempe, et ψυχην, similes esse, duarum partium mentis humanae; ita, ut Dei τη γηγενικην simile sit τη γηγενικην mentis humanae, eandem habeat naturam, substantiam, et eodem fungatur munere, ac hominis τη γηγενικην, ψυχη autem Dei, similis sit τη ψυχη hominis, i. e. sentiendi facultatis idemque apud Deum conficiat, quod hominis ψυχη apud hominem conficit. Locis, ex Plutarcho citatis, addo nunc tertium, ex Diog. Laertio L. VII. seg. 138. qui ex §. XX. lucem accipiet, et nostram de duabus in Deo naturis, secundum Stoicos, firmabit sententiam. Dicit nempe Diogenes, Stoicos docuisse, τον κοσμον σίκειδαν κατα νεν και προνοιαν, εις απαν αντε μερος δικοιος τε νε, και θαπες εφ την της ψυχης. Πλω μερος Θεος, mundus, seu universum est; hoc eodem modo permeat natura divina, quo nostra mens suum corpus, nempe extendens ex spiritu quendam, quo omnia cernit, audit, sentit, et ubique efficax est.

§. XXII.

Iam vero duarum in Deo partium vis, natura, atque proprietas, uberius explicanda est, idque optime fieri poterit, si analogo-

ⁱⁱ⁾ Anton. II. §. 2. δ, τι πατε τητο σιμι, σαρκι ειτι και πνιματιον (hoc πνιματιον L. III. §. 16. ψυχη dicitur) εικ τη γηγενικην. — θεστη και το πνιμα εποιοι τι εστι. απιος, ειδη αι το επιτο, αλλα πασιν οικει τη γηγενικην, και παλι φερθειν. Ηας ποτεστε ψυχη quoque bestias tribuitur. Anton. VI. 14.

analogiam mentis humanae, quae divinae naturae imago et simulacrum fuit, sequimur. Humanae mentis principatus est ratio, vis cogitandi et appetendi; itaque erit ille divinae naturae principatus, perfecta ratio, quae callidissimo artificio ex materia inertis optime mundum fabricata est, moderatur, et gubernat. Hic Dei principatus tenet praeterita, praesentia, ac futura, hic fati auctor est, non habuit initium, nec habebit interitum. Est denique huius divini principatus sedes quaedam perpetua ac propria, (ut et principatus mentis humanae sedem habet certam et constantem,) sed, apud diversos Stoicos diversa. Nonnulli enim aethera, alii coelum, alii solem, alii purissimam aetheris partem, alii terram voluerunt esse principatus divini sedem atque domicilium. vid. Diog. Laert. VII. seg. 139. Eusebius praeparat. evang. L. XV. c. 15. Cic. Acad. Q. L. IV. c. 41. Vnde haec opinionum diversitas nata sit, non liquet, fortasse una sedes visa est maiestate divina dignior, et accommodatior ad agendum, quam altera. Ex principatu mentis humanae manat spiritus, aer, exhalatio, quae per totum corpus diffunditur, quo et principatus sentit, operatur, et cum corpore cohaeret. Sic etiam ex principatu divinae naturae effluit spiritus, aer, et per universum funditur, in omnibus mundi partibus inest, qualis harum sit conditio, refert ad principatum, huius voluntatem perficit, huius sensus est. Principatus habet sedem certam, hic spiritus contra divinus omnem errat per mundum, ubique est, in corporibus, plantis, animalibus aequaliter sedet. Nunquam quidem hic spiritus, a principatu emissus, interbit, tamen aliquando, cum mundus igne comburetur, se cum principatu coniunget, et ambo eundem aetheris locum occupabunt. Similiter in somno spiritus mentis humanae, et eius diffusus Spiritus, coniunguntur. Putabant nempe Stoici, principati divinae naturae necessariam esse quietem, ut et principati mentis humanae necessaria

E 3



est requies, qua se colligat, et novas vires aëcipiat;^{o)} nonnulli tamen Stoici mundi interitum per ignem negarunt,^{p)} hi fortasse melius de Deo cogitantes intellexerunt, Deum non indigere hac quiete et laboris intermissione.

S. XXIII.

Illud autem, quod inprimis huic spiritui divino a Stoicis tribuitur, hoc est. Primum docent, hunc spiritum divinum loco providentiae, et ipsam providentiam, esse. Videantur loci §. XIX. et XX. ex Plutarcho et Diogene laudati; quicquid igitur providentiae divinae Stoici tribuunt, id spiritus divinus, aut Deus per illum, perfecit. Porro aperte dicunt, hunc spiritum divinum esse vinculum, quod diversas mundi partes circumdet, colliget, et totius naturae faciat aptam conspirationem concentrumque. Videatur Cicero de N. D. II. c. 7. et 45. Denique hoc spiritu divino, qui in omnibus rebus aequaliter inest, efficitur cuiusque rei substantia, existentia, proprietas, et a ceteris rerum generibus diversitas.^{q)} Id uberioris illustrandum est. Primus

spi-

^{o)} Saltē secundum Senecam Jupiter, summus apud Stoicos Deus, et divinae naturae principatus, mundo resolute, acquisit sibi, cogitationibus suis traditus vid. ep. IX.

^{p)} Vid. Cic. de N. D. II. 46. ubi de Panaetio id dicitur.

^{q)} Diog. Laert. VII. seg. 138. τοι δη κοσμος δικαιωτης κατα νευ και προσωπα, οις απαντεις μερος δικαιοτητος τη νη, καθηκει εφ μητρα της Φυζης, (horum verborum vim vide §. XXI) αλλ ηδη δι οις μηι μελλον, δι οις δι ητον, δι οις μη γαρ οι εις περιεγεισ, οις δια των οσων, και των μησων, δι οις δι οις ιης, οις δια τη πνευμονικη, et seg. 139. Chrysippus dicit πρωτος θεος αισθητικος ασπις περιεργεια δια των ει αισι και δια των ζωων απαρτων και φυτων, δια δι της γης αυτης καιδ εξ. verbis δηκειν ει καιροι δια της duplex vis est subiectienda, una το inesse, altera το operari; primam vim probare nihil attinet, alteram vero, το operari et efficacem esse, non esse commentitiam apparet ex legm. 147. ibi de eodem spiritu divino omnia permeante sermo est, et verba δια τη ζητη περιεργεια explicitant per: αιτειται τη ζητη. Cum autem Laertius dicit, hunc spiritum divinum magis aut minus res mundi permeare, hoc significari existimo, maiorem et minorem effectus praestantiam; aequali enira intentione diffunditur per omnia spiritus divinus secundum Stoicos, v. Senec. Conf. ad Helv. c. 8. Verba igitur Diogenis sic essent vertenda; Diversa rerum omnium in mundo praestantia ac vis rationem habet in diversa efficientia spiritus divini, qui illis inest.

spiritus divini gradus, et infima illius efficientia cernitur in iis rebus,
 quae sensu carent, et tantummodo crescunt, vigent, et in terra
 dignuntur, in his operatur ἔξι. Hoc verbo Gatakerus meram
 formam vult declarari a Stoicis, vid. ad Anton. L. VII. §. 14.
 Tiedemannus autem in expositione system. Stoici P. II. p. 46. pu-
 tat, hoc verbo, apud Stoicos, vim quandam, et valetudinem
 indicari. Horum virorum dissensum optime conciliari posse pu-
 to distinctione quadam inter res sensu carentes; harum qua-
 dam mera forma gaudent, et cohaerendi vi, v. c. lapides et ligna,
 his si tribuitur ἔξι, formam significat. Sic a Sexto tribuitur ἔξι
 lapidibus et lignis, plantis vero et arboribus Φυσις, i.e. crescendi
 vis, vid. adv. Physl. I. segm. 81 et apud Plutarchum de repugn.
 Stoic. p. 1053. corporum color, durities, soliditas ἔξι dicitur.
 Quaedam contra rerum, sensu carentium, genera vigent, crescunt,
 augmentur, ut ossa, nervi, arbores, plantae; harum rerum
 ἔξι constat in vi et valore quodam, qui et Φυσις dicitur, vid. Sex-
 tus l. c. Haec igitur rerum sensu carentium virtus, quae per ἔξι
 exprimitur (sive mera forma sit, sive vigor et crescendi vis) ea
 divini spiritus parte efficitur, quae illis ineſt. Secundus spiritus
 divini gradus, priori praestantior, ineſt in animalibus, quae sen-
 suum usum habent, vivunt, et appetendi vi gaudent; horum vi-
 ta, procreandi vis, ceteraque facultates, quibus praestant rebus,
 sensu carentibus, dependent et efficiuntur a spiritu divino, qui
 illis infusus est.) Tertius denique gradus spiritus divini, ob
 effectum praestantissimus, ineſt in iis animalibus, quae una cum
 sensuum usu, habent usum rationis ac intelligentiae; his annu-
 merantur homines, sidera, et quatuor elementa; qui in homini-
 bus est, is horum dicitur genius, mens, ratio, vid. Anton. V.
 §. 27. Qui in sideribus est, et quatuor elementis, is varia habet
 nomina, eorum videlicet Deorum, quos plebs veneratur. vid.

Dio-

r) Vid. Diog. Laert. VII. segm. 156. animae animalium sunt partes animae mundi.



Diogenes Laert. L. VII. seg. 147. et auctor de Placit. phil. I. c. 7. Omnia igitur rerum creatarum natura, proprietas, vis atque existentia proficiscitur, secundum Stoicorum doctrinam, a spiritu, quem supremus Deus sine intermissione exhalat, et per universum fundit. Hoc spiritu omnia constant, vigent, et vivunt, statimque pereunt, ac dissolvuntur, quando ab hoc spiritu deseruntur. Quae si ita sunt, apparet, hunc spiritum divinum idem esse, quod alias Stoici dicunt ardorem vitalem, ignem artificiosum, i. e. artificem, et mundi naturam. Quae enim his tribuuntur, ita comparata sunt, ut plane convenienter cum spiritus divini proprietatibus et operibus. Docent videlicet, calorem quendam vitalem, nostrorum ignium dissimilem, per omnem mundum esse diffusum, eoque res omnes, terra genitas, crescere, vigeere, sustentari ac esse; in animalibus autem et sideribus, per hunc ardorem vitalem, confici mentem, rationem, sensum; denique hoc ardore extincto, res omnes perire et consumi. Vid. Cic. de N. D. L. II. c. 9. seq. Naturam vero dicunt, esse ignem artificiosum, qui vim contineat, ratione et ordine gignendi rerum genera,³⁾ eique naturae principatum quendam, ἡγεμονικόν, assūgnant.

s) Vid. Diog. Laert. L. VII. seg. 156. et Cicero de Nat. D. II. c. 22. Secundum Laertium legm. 148. natura quoque continet λόγος σπερματικός, i. e. leges et ratus ordinem, secundum quem quaevis rerum genera in hoc mundo gignantur; cf. segm. 157. ubi σπερματικός λόγος ea vis et facultas in homine dicitur, quae definito modo similia sui gignit; et Plutarchum de placitis, ubi κατὰ τὸ σπερματικὸν λόγον γένεσιν explicatur per καθ' ὁμορράχην γένεσιν. L. I. c. 7. Quin etiam ipsum fatum nihil aliud erat secundum Stoicos, quam spiritus divinus, et eius efficientia. Vid. Plutarch de plac. I. 28. et Stobaeus ecl. phys. p. 12. Fuerunt quidem qui dicebent, has rationes seminales positas esse secundum Stoicos in materia, eiusque vi ac natura, ita ut Deus se applicarit tantum ad patientis principii naturam in rerum produzione; sed haec sententia prorsus abhorret a Stoicorum doctrina. Docent enim constanter, materiam, principium patiens, esse iners, nulla vi, nulla facultate et proprietate praeditum, vid. Laert. L. VII. segm. 134. et 137. Senec. ep. 65. Plutarch adv. Stoic. p. 1076. Stobaeus in ecl. phys. p. 30. ὁλοὶ ἀροίσι εἴη καὶ ἀμορφοί; ἀροίσι iners, i. e. omni vi carens, et qualitate; vid. Cic. de N. D. II. 37. et Acad. Q. I.

gnant. vid. Cicero de N. D. L. II. c. 11. Haec omnia etiam spiritui divino tribuuntur, proptereaque ardor vitalis, et ignis artificiosus Dei nomine appellantur.

§. XXIV.

Quanquam quidem habet haec Stoicorum de Spiritu divino doctrina multum obscuritatis, (praesertim non nemini, me unquam legere rationes, ob quas eiusdem spiritus divini partes tot ac tantas rerum creatarum efficerent vicissitudines diversaque naturas, et quomodo una particula aurae divinae in nonnullis rebus formam modo conficiat et crescendi vim, in aliis contra sensum, in ceteris autem rationem et intelligentiam;) tamen propter illam Stoicos iis non annumeraverim, qui pantheismum defendunt, et Spinozam sequuntur; is enim error, qui pantheismus dicitur, ante Cartesii famosam substantiae definitionem, quam dedit Princip. phil. L. I. §. 1. nasci vix potuit; deinde mundus Stoicorum non constat in sola cogitatione mentis divinae, et idealis tantum est, quod si volunt, qui Spinozam sequuntur, sed mundus et Deus, secundum Stoicos, re et natura differunt; Deus incorporalis, simplex, et totius naturae vis est, mundus contra ex elementis, quae vi et qualitate carent, conflatus est; hic illius est fabricatio, et domicilium; ille huius moderator ac dominus; hic sine illo nec constare, nec manere potest. Hoc qui statuunt, illi longissime absunt ab errore Spinozae, qui omne, quod est, Deum esse putavit. Ratio autem, ob quam multi errorem Spinozae Stoicis tribuerunt, posita est et in nonnullis huius familiae vocibus, quae nituntur doctrina de fusione spiritus divini continuata, et in usu divini nominis inconsiderato, qui usus Stoicis cum omni antiquitate communis est. Iste enim

divi-

Q. I. c. 7. ubi ~~nocturns~~ explicatur. Haec autem initii patientis et omnis materiae conditio iners causa fuit, ob quam voluerunt Stoici omnia rerum genera penetrari Spiritu divino, qui illis tribuat vim, qualitatem, proprietatem, substantiam; sic optime cohaerent omnia physiologiae Stoicae loca.

F



divinae naturae spiritus deus dicitur, illiusque opera dei nomine appellantur. *vid. Cic. de N. D. I. c. 5.* Seneca N. Q. II. c. 45. de Benef. IV. 7. Quando igitur Stoici dicunt, totum, quod videmus et non videmus, Deus est, id dicunt propter insussum per omnia, parva atque maxima, spiritum divinum. Par est ratio decreti Stoici, secundum quod Deus in exustione mundi omnia rerum genera in se recipiet ac resolvet, *vid. Laert. VII. segm. 137.* Non enim primam rerum omnium materiam secum coniungit, quae semper a Deo diversa manet, nec gignitur, nec interit, *vid. Diog. Laert. VII. segm. 134.* Sed, quoniam infusione spiritus divini quaevis rerum, ex materia conflatarum, natura et essentia continetur, et hic spiritus in exustione mundi in Deum recedit, et ab hoc attrahitur, propterea dicunt Stoici, omnium rerum substantias et naturas aliquando in Deum esse reversuras. Antouini testimonio hanc sententiam confirmare possum, secundum quem nos aliquando mutatione quadam in rationes semifinales, *σπειρατικες λογικες*, recessi sumus *vid. L. IV. §. 14.* Has vero rationes semifinales confinebat, ut supra vidimus, natura rerum omnium, i. e. spiritus divinus, ubique diffusus, naturae divinae instrumentum.

§. XXV.

Diximus, mentem humanam, secundum Stoicos, esse partem spiritus divini, aut animae mundi, neutquam vero partem principatus divinae naturae. Haec sententia desiderat probationem uberiorem, cum propter dissensum eorum, qui Stoicam doctrinam interpretati sunt, a nostra sententia, tum propter ambiguitatem, quae est interdum apud Stoicos, quando de mentis humanae natura, eiusque origine, differunt. In hoc omnes Stoici convenient, vim cogitandi, appetendi, memoriae, inventi, caterasque virtutes, quibus homo reliquis praestat rebus terrestribus, non cadere in crassa elementa, ex quibus id, quod sensibus percipitur, conflatum est, sed esse praestantius quid, a natura

natura divina haustum ac libatum. Iam vero, si id, quod in nobis cogitat, pars Dei avulsa est, (*ἀποσπασμα της θεου* graece dicebatur) investigandum erit, utrum illud acceperimus ex parte Dei principali, an ex spiritu huius naturae, qui omnia trahat et complectitur. Seneca aperte docet, mentem humanam esse partem spiritus divini,¹⁾ et eius eandem vult esse naturam et originem, qualis siderum est, indeque putat natam esse animi humani inconstantiam, et eius novarum rerum cupiditatem perpetuam.²⁾ Per sidera autem Stoici nunquam diviserunt principatum divinae naturae, quanquam illis tribuerent divinitatem, rationem, et sensum, propter inclusum, ut vidimus, spiritum divinum. Reliqua etiam, quae sideribus tribuuntur a Stoicis, abhorrent ab iis, quae principati tribuuntur. Velleius denique, apud Cicer. de N. D. L. I. qui constanter et omni modo Stoicos, eorumque de Deo doctrinam vexare studet, nunquam ait, Stoicos lacerasse Deum distributione quadam per mentes humanas, quanquam idem c. XI. vehementer invehatur in Pythagoram propter hanc Dei distributionem in mentes hominum. Si Stoici eadem cum Pythagora docuissent, eos profecto non intacts reliquisset. Vnus est apud Arianum locus,³⁾ quo nostra de natura mentis humanae labefactari possit sententia, ibi enim mentibus humanis tribuitur divinitas, eaque bestiis tribui posse negatur, atque ex hoc Epicleti loco fortasse aliquis collegerit, mentes humanas esse partes divini principatus. Sed duplex est ratio, ob quam Epicleti loco, nullam tribuam vim ad refellendam nostram sententiam. Primo enim possumus concedere, Epicletum discessisse a sua familia, et principatum divinae naturae per mentes humanas distribuisse; quis enim unquam crederet, tot ac tantos acerrimo ingenio viros, quales Stoicos fuisse, et eorum monumenta, et omnis

F 2

anti-

¹⁾ Seneca ep. 66. Ratio, nihil aliud est, quam pars divini spiritus, in corpus humanum immerita. Adde eundem ep. 110. ab initio, ubi dicitur: paedagogus noster non est deus ordinarius, sed inferioris notae.

²⁾ Senec. Consol. ad Helv. c. 6.

³⁾ L. II. diff. 8.



antiquitatis consensus testantur, nunquam dissensisse? perpetuum scilicet in placitis consensum respuit ingenii humani natura, quae amica varietati, semper aliorum virorum decreta mutat, et illis aut nonnulla addit, aut abrogat. Hoc in Epicteto facilius ferri poterit, quoniam hic, totus in morali philosophiae parte occupatus, duas reliquias, rationem differendi et physiologian spernit et parvi aestimat. Hoc apparet ex huius viri sententia de ratione dominante apud Arr. L. II. d. 18. et 19. aliisque huius generis quaestionibus. At potuit etiam Epictetus spiritum divinum hominibus solummodo tribuere, et bestiis denegare, quoniam per illum homines ad similitudinem cum Deo accedunt, ac rationis participes sunt, quae in bestiis nulla est. Evidenter non dubito, fore plerosque, qui fortasse mirentur hunc Stoicae sectae dissensum ab antiquitate reliqua, et illius optima parte,²⁾ quae animum humanum numinis supremi partem esse voluit. Huius dissensus nullam aliam causam suisse intelligo, quam magnificam de Deo summo Stoicorum sententiam. Summus enim Deus, secundum Stoicos, est aeternus, praepotens, nullum habet virium suarum terminum, nihil est, quod non efficere possit. Tam excellens quiddam in corpora mortalia includere, et per illa distribuere fortasse nefas esse duxerunt. Reliquorum contra, apud antiquos, philosophorum Deus minoris est dignitatis et potentiae; Platonis v. c. qui etiam omnes res condidit, in perpetua versatur pugna cum materia, et hanc nonquam coercere et subigere potest; id, secundum Platoneum, et mala in hoc mundo, et stellae istae, quae errantes dicuntur, testantur, quae sunt perpetua imbecillitatis divinae monumenta.

§. XXVI.

²⁾ Plato introducit in Timaeo Deum, miscentem rationem suam cum rudis materiae anima effusa, et ex hac mistura fabricantem mundi animam. Ex reliquis autem huius misturæ ab eodem Deo mentes hominum sunt productæ, ut Platon placet. Antiquiores philosophos vero mentis humanæ naturam deduxisse ex natura divina, apparet ex praecepto illo frequentissime obvio, *quod: eurus*, cuius non est sententia, ut nostra virtus et peccata contempletur et adspiciamus, sed, ut memoris sumus nostræ cum Deo cognitionis, et nostræ divinitatis vid. Cic. de Leg. l. c. 22.

Iam vero, si superiora repetentes anquirimus, qualia a Stoicis de divina natura dicantur, haud inficiari possumus, nisi inquit esse velimus, talia a Stoicis dicta esse, quae cum digna sint summo numine et illius maiestate, Deus enim secundum Stoicos omnia fabricatus est optime et pulcherrime, tum hominum mentes excitare possint, ut pie et religiose summum rerum dominum colant, is enim, secundum Stoicos, omnia regit, conservat, et omnium rerum salutem curat. Quare cogitanti mihi de doctrina Stoicorum, haec semper visa est crepusculum matutinum illius lucis clarioris, quae divinitus sparsa ex nostri coeli complexu perniciosa penitus dispergit caliginem, et de maximis rebus sustulit opiniones vagas. Sed crepusculo matutino adhuc pugna est inter lucem futuram et tenebras, ambo inter se de dominatu luctantur; sive, ut clarius significem, quae volo, notio Dei a Stoicis inclusa est in formam et imaginem, ex qua imagine fluxit multus ac varius error. Testatur ingenii humani historia, absurdis ineptiis et gravissimis erroribus eos fuisse semper expositos, qui cogitationem suam minus a consuetudine sensuum abducentes in Deum transferrent formam, perturbationes, aliosque mores humanos. Sed cur plus a Stoicis desideramus, quam desiderare fas est? Aetas, qua vixerunt, imaginem Dei sensualem peperit. Homo nimur totius generis humani simularium est, genus humanum easdem in cogitando habet vicissitudines, quas homo quisque experitur. Initio infans, nihil amplius potest percipere, quam quod sensibus percipitur; si Deum cogitat, regem cogitat fatellitum turba stipatum, et per ministros omnia perficien tem. Si infanti haec imago eripitur, Deus simul eripitur, nec amplius habet, quod deo teneat. Deinde puer, ad altiora ascendit, varia ac meliora audet, aei mentis a sensuum consuetudine abducere studet; at quadam imbecillitate, quae ex infancia remansit, impeditur, quo minus sese liberet a sensuum illecebris, et imaginum sensualium irruptione. Deus tunc non amplius rex est,



sed mens, ac spiritus, circumdatus quodam subtiliore corpore;
 non ministris quidem indiget in fabricatione et administratione
 mundi, attamen materia quadam, rudi et indigesta, quam for-
 met et figuret. Post iuvenis, virium suarum memor summa pe-
 tit, sensuum perceptiones tanquam impedimenta spernit, cogi-
 tatione mentis nisus parit notiones transcendentales, quae corpo-
 re, compositione, et extensione vacant; quin etiam eo audaciae
 procedit, ut iam, utrum corpus sit, an nullum sit, dubitare in-
 cipiat. Tunc Deus est perfecta ratio, sola voluntate et nutu
 omnia perficiens, mundus statim exstitit, quando Deus voluit,
 nec antea chaos fuit, quam exstitit, (chaos, quod rudis et indi-
 gesta moles esse dicitur, et nonens est, ut cum schola loquar, et
 puerilis ingenii notio) et eodem temporis puncto, quo Deus vult,
 perit. Stoicorum aetas est puerilis totius generis humani aetas;
 aetatem prae se ferunt, ut eorum comites, Platonici ac Peripate-
 tici; Deus illorum non prolsus vacat corpore, non sola volunta-
 te, quicquid ipsi placuit, perficere potest, machinis et vestibus
 utitur in fabricatione, conservatione, et gubernatione universi,
 horumque loco, intentione et effusione sui spiritus; nec mate-
 riā produxit, cum antea non esset, sed tantum formavit et com-
 posuit, artificis instar, qui sine materia nihil potest fingere et pro-
 ducre. Quin etiam quiete quadam indiget Deus secundum
 Stoicos, perpetua enim spiritus intentio nimis visa est laboriosa
 et molesta. In his erroribus, et in tanta rerum maximarum igno-
 ratione homines versati sunt, qui omne suum tempus litteris,
 cogitationi et philosophiae consecrarunt; quid de illis iudican-
 dum erit, qui illo tempore litteras nunquam tetigerunt? et, quae
 fortasse nostras occupasset mentes supersticio, aut ignoratio, aut
 impietas, nisi melior de coelo fluxisset doctrina, intelligentiae
 humani generis aptior, et tranquillitati singulorum hominum ac-
 commodator?

EMEN.

E M E N D A N D A.

- p. 14. l. 1. pro, visa, antecedunt, l. visa antecedunt,
p. 16. l. 13. pro, eaque l. eaque.
p. 19. l. 19. pro, ἀπολαγθειτ. l. ἀκολαγθειτ.
p. 19. l. 22. pro, eius: quod l. eius, quod.
p. 33. l. 17. pro, fit l. fit.

Alia leviora lector ipse facile emendabit.

AGUNDINIA

Ambozins der A. ambozins schreibt und schreibt
ambozins der A. ambozins schreibt und schreibt

Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91



sb.

WD 18

W
C
E
178

B.I.G.



DE

COHAERENTIA MVNDI PARTIVM
EARVMQVE CVM DEO CONIVNCTIONE
SVMMA, SECVNDVM STOICORVM
DISCIPLINAM

DISPVVTATIO PHILOSOPHICO HISTORICA

PARS PRIOR

QVAM

P R A E S I D E

IOHANNE MATTHIA SCHROECKH

HISTOR. PROF. P. O. BIBLIOTH. ACAD. DIRECTORE
INSTITVTI REG. HIST. GOETTING. MEMBR.
ORDIN. SOC. LAT. MARCH. BAD.
SODAL. HONOR.

DIE IV. IVNII A. C. CIICCLXXXV.

P V B L I C E D E F E N D I T

A V C T O R

G OTTLOB E R N S T S C H V L Z E

AA. MAG. ET DIACONVS AD AEDEM ARCVS ET ACAD.

VITEMBERGAE

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRIL.

1785

7003